Quaestio Cardinalitia agitanda in Schol. Medicorum Die Jovis 15a Junii. Clarissimo Viro D. Marco Myronio Regis Christianiss. Archiatro Moderatore sapientissimo.

An à diuturnis curato haemorrhoidibus una relinquenda?

Cum omnium qui in corporibus nostris continentur humorum, quos una semper cum calore simul gigni, alii sint alimentarii ob triplicis scilicet fluorem (cuius vel accuratissima separatio interdictum necessitatem non tollit) necessarii: alii excrementitii. Illi quidem quantitate saepe peccantes; si quantitate numquam non molesti, naturam irritatione sola ad sui excretionem invitant: quos si quanta et qualis esse debet, contingit, consistere. Sin minus contra, illinc εὐσαρκία et εὐχυμία, hinc πληθώρα et κακοχυμία. Illinc sanitatis conservatio, hinc morborum omnium foetura.

Ac morbi quidem sunt, quoties vel nullo modo, vel immoderatius, vel parcius profunduntur. Sic sanguinis vel laudabilis exuberantia in totum suppressa, à diuturniore synathroismo vel in furorem agitur, et in quamcunque partem impetu irruerit, curatu difficiles morbos, plerumque etiam insanabiles facit. Immoderatius profusa, non solum propter nimiam spirituum dissipationem, sed etiam ob alimenti penuriam spirituum vitalium è sinistro cordis ventriculo per arterias ad extimas usque corporis ~~particulas~~ particulas influentem minuit: ipsumque adeo solidarum partium robur immutat, ut à vehementi alteratione funestam alienationem ut plurimum inducat. Parcius denique vacuata (ne quid prius commemorem) oppressionem facit, quas omnia mala graviora sunt et periculosiora, quoniam ad quantitatis immoderationem qualitatis quoque vitium accessit.

Vacuatur autem sanguis naturae robore vel per nares ut in grandioribus: vel per uterum ut in solis mulieribus ad concipiendum pondus (etsi nonnunquam absque huiusmodi profluvio possint concipere) vel per alvum ut in mutilatis, et in his qui à negotio ad otium se converterunt. Sed inter illas omnes excretiones vix ulla in viris frequentior reperiri potest, quam quae per haemorrhoidas (non ante pubertatem, nec post 42um aetatis annum nisi prius inceperit, cuius jam jam adventantis certissima signa sunt cardialgia et lumborum dolor) fieri consuevit: Natura non modo melancholicam ac feculentam illuviem repurgante, sed etiam plenitudinem depleente: hanc quidem per hypogastricas venas à ramis duobus iliacis ad anum: illam vero per venas à ramo mesenterico ad eundem locum pertinentes. — Utramque statis periodis, certoque modo, nisi error aliquis vel prava dicta corporis constitutio naturae ordinem et modum perverterit.

Huius vacuationis ut magna sunt commoda cum probe perficitur, melancholiam enim non solum incipientem prohibet, sed et jam factam curat et lienem induratum. Apoplecticis superveniens bono est: bono item et mulieribus suppressis mensibus (quorum nulla est virulenta qualitas) nisi multum gravidas. Peripneumonias, hydropes, tabes, epilepsias, calculi, aliorumque affectuum ἀπάθειαν ~~[illegible]~~ affert. Sic magna sunt incommoda quoties immoderatior fit, vel praeter rationem supprimitur. Ab immoderatione cachexia, hydrops, omniumque virium exolutio: à suppressione malorum omnium generatio. Quapropter ut illi periculosam utramque ἀμελείαν habenti, non est temere assuescendum, sic ab ea jam assueta non omnino recedendum.

Sine variis curationis scopi, qua enim est immoderatior, sistenda venae sectione in cubito, cucurbitulis, fotu ex astringentibus simul et anodynis, paucis, sed eucymis alimentis, non neglecta interim partium interiorum diaetesi. Quae parcior est vel omnino suppressa, provocanda secta vena in cruribus forti et aspera sedis frictione, admotis cautis acrioribus medicamentis, scalpello denique vel hirudinibus. At quae in viris naturae et vitae instituto melancholicis moderate quidem fit, et periodice, soli est naturae committenda. Si quis tamen eiusmodi vacuationis prae taedio liberari velit, haemorrhoides ipsas ustione, sectione, ligatione tollendas non esse, nec ἀθρόως, sed una relicta per quam non tantum vacuationis ratio, sed etiam materiae vacuandae qualitate, suppressi sanguinis incommoda, citius et tutius quam per quaslibet phlebotomias, vel exercitationes, vel medicamenta declinentur.

Ergo à diuturnis curato haemorrhoidibus una relinquenda



Asserebat Stephanus Du Four Parisiensis. 1581.